



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1869**

De S. Vitali Eremita In Pago Ratiatensi Diœcesis Nannetensis In Gallia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67915)

A g Hersfeldia, etiam hodie Hersfeld, ad sinistram ripam Fuldae fluvii, in electoratu Hasso-Casselano, in Fuldensi provincia.

h Quamvis Anonymus periculum potius mali, quam ipsum malum verbis suis indicet; e narratione tamen Etylis primos Hersfeldiae incolae sub S. Sturmio multa passos fuisse liquet, cum dicat (a): Invidus omnium bonarum rerum diabolus, pertimescens servorum Dei in solitudine conversationem, malorum hominum mentes instigabat, ut sanctum servus Christi contradicerent locum. Sancti vero servi Dei, cum pravorum hominum obstinationes, immo Zabuli adversitates ferre necdum possent, diverterunt inde, etc.

i De translatione S. Wigberti in Hersfeldense monasterium egerunt Nostri ad XIII Augusti (b).

k Frislarium, hodie Fritzlar, ad Adranam (Eder), in electoratu Hasso-Casselano, in provincia Hassiae inferioris.

l Buriburg, seu Buriburgum, locus nunc destructus, e regione Frislarum, ad dexteram ripam Adranae. Juxta (Frislarium), ait Browerus (c), in excelso monte, Buriburgum, vetus episcopi sedes stabat, cujus hodieque ruinæ illie monstrantur.

m Ex hoc loco liquido constat Erlangense Ms. supplere, quæ desunt in editione Lovaniensi, qui vicissim hic hiulcam locutionem Erlangensem complet. Nam Lovaniensis editio dicit, angelica voce secundo ac tertio commonitum fuisse S. Lullum, quin quidpiam dicat de prima visione, quam Erlangensis codex refert. Ast Lovaniensis legenda vice quoque sua secundam visionem, quam tacet Erlangensis, recitat.

n In hæc verba desinit codex Erlangensis.

o In Actis S. Liobæ ad diem XXVIII Septembris (d), nihil reperitur de cura a S. Lullo in sepulturam

(a) Pertz Monum. Germ., t. II, p. 370. — (b) T. III August., p. 137, n. 24. — (c) Aniquit. Fuldens., p. 4. —

sanctæ Liobæ impensa, quæ tota monachis Fuldensibus adscribitur.

p De Albuino seu Albouino, aliis Witta seu Wittano dicto, recurret sermo ad diem XXVI Octobris; ad quem ejus Acta discuti poterunt. Ex hac tamen narratione sequeretur Albuinum aliquot diebus præmortuum fuisse S. Lullo: unde examinandum veniet, quæ de causa ejus memoria diei XXVI Octobris affixa fuerit.

q Chorepiscopus hic nuncupatur Albuinus; quidquid sit de chorepiscopis in genere, utrum scilicet episcopali caractere insigniti essent: dubium circa Albuinum nullum est, utpote quo utebatur S. Lullus in divinis rebus et privatim et publice adjutore ac suffraganeo (e).

r Valde perturbate ordinat scriptor supremum iter S. Lulli. Nam inspicienti mappam topographicam ad oculum patet Hersfeldense monasterium in orientali plaga Moguntia situm esse, ac proinde, ut Moguntia illuc eatur, nullam esse necessitatem attingendi Rhenum: imo sive quis secundo sive adverso flumine naviget, is profecto Hersfeldia tanto longius recedet. Credo itaque textum in hunc sensum corrigendum esse: Et per Mogonum amne adverso devectus, in loco, qui dicitur Hohstedi, exponi (jussit). Juxta Moguntiam in Rhenum insluit Mogonus (le Mein), ab oriente veniens, et, quod correctioni meæ favet, via circiter media inter Moguntiam et Francofurtum est et hodie oppidulum Hochst, apud antiquos Hochstedi seu Hochstedin appellatum: ex quo iter terrestre, uti habet textus, Hersfeldiam versus carpendum erat.

s Vidimus Commentarii prævii num. 119 primam corporis translationem celebratam fuisse anno Christi 852; id est sexagesimo septimo anno post obitum S. Lulli: unde satis liquet Anonymum numero, ut diximus, rotundo hic usum fuisse.

(d) T. VII Septemb.; p. 768, n. 30. — (e) Circa chorepiscopos cfr Nardi Dei Parrochi, t. I, p. 422.

## DE S. VITALI EREMITA

IN PAGO RATIATENSI DIÆCESIS NANNETENSIS  
IN GALLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Homonymi, biographiæ, ætas, vitæ ratio, Reliquiarum translationes, et cultus.

ANTE  
SECULUM IX.

In pago Ratiatensi

Incolæ pagi Ratiatensis seu Ratisensis, S. Vitalis eremiti commoratione insignis, Oceanis littus inhabitabant, ut habet Ermentarius (a), collector miraculorum S. Filiberti, Nigri monasterii (Noirmoutier) in insula Hero, nunc etiam Nigro monasterio dicta, fundatoris et abbatis; et intra ipsum Pictavorum terminum, qui adjacet civitati Namneticæ; ut loquitur S. Gregorius Turonensis in libro de gloria Confessorum (b). Cum in-

(a) Act. SS., t. IV August., p. 91. — (b) Cap. lrv. Bibl. Max. SS. Patr. Lugdun., t. XI, p. 883. — (c) Ibid. loc. cit.

terlabente Ligere fluvio a Britannia et Nannetibus separaretur, pars fuit ista tellus diæcesis Pictavensis, ut ex eo, quod teste S. Gregorio Turonensi (c), S. Hilarius ibidem S. Lupianum baptisavit, colligit Gallia Christiana nova (d); donec anno 851 a Carolo Calvo, Francorum rege, in gratiam Herispogii decisa est a Pictavensi agro et addita Britannia, ut finis tandem feret perturbationibus, quas fuisse exponit Cl. V. Guépin in nuperiore sua Nannetensi hi-

(d) T. II, col. 1143.

storia



- A *storia* (a) *Dubium* certe nullum esse potest quin usque ad tempora Herispogii, aut saltem ejus patris Nomenoii, terminus seu pagus ille episcopo Pictaviensi subsuerit; atque adeo Hadrianus Valesius (b) disserens de pago Herbatilicensi, qui in Ratiatensi termino jacebat, seu etiam, ut Cl. V. Guépin velle videtur (c), idem ac ille terminus erat, ita ratiocinatur, ac si non statim episcopalis jurisdictionis fines mutati fuissent, cum civilis auctoritatis modus conversus est; hæc ejus sunt verba: Si ergo Arbatilicum territorium (Comté d'Herbage)... erat in finibus seu in agro Pictonum, ad Pictones utique, non ad Namnetes pertinuit, et diocesi Pictavensi, non Namneticæ attribuebatur; quem pagum postea Pictava Ecclesia facile amittere non potuit, et sibi eripi passura non fuit. Verum cum medio sæculo IX omnia sus deque in Britannia atque in ipso pago Ratiatensi seu Herbatilicensi a Normannis versa essent (d), iidemque agri plurimum a Lamberto et Nomenojo, Britannia principibus, passi fuissent (e), multo facilius hæc nova dioceseon limitatio facta fuerit oportet; præterea cum Gislardum in sedem Nannetensem loco Actardi episcopi Nomenojo intrusisset, planum erat ut illegitimus ille præsul auctoritatem suam extenderet in Ratiatensem pagum, quem Nomenojo, ejus fautor, vi et dolo occupaverat; præsertim cum B. Leo Papa IV, falsis forte relationibus deceptus, Nomenojo faveret, ut ex Chronico Nannetensi (f) colligere licet. Quibus conjecturis novum accederet robor, si certius constaret, quæ de metropoli Dolensi, ab eodem Nomenojo instituta, circumferuntur (g): ex his enim liqueret Nomenojo in res ecclesiasticas et civiles omnia fuisse ausum. Quidquid id est, sæculis certe XI et XII, ut ex charta (h) fundationis monasterii S. Mariæ de Calmaria (la Chaume), anno 1055 in Ratiatensi pago conditi, satis manifestum est, non aliter quam ex donationis instrumento Radulphi, Radesii domini, in gratiam cænobii de Busajo anno 1152 factæ, quod Hyacinthus Moricius edidit (i), ad diocesim Nannetensem pertinebat Ratiatensis pagus seu terminus; neque unquam exinde ab ea fuit diremptus. Plura de hac tellure, quæ nunc capitur partitione, Ligere inferiore dicta (département de la Loire-Inférieure), videnda sunt in Dictionariis geographicis d'Expilly, et La Martinière, non secus ac in Dictionario universalis Franciæ, anno 1804 Parisiis impresso, ad verbum Retz, in Notitia Galliarum Valesii ad verba Pagus Ratiatensis et Herbatilicensis, in Geographia historica D. Vaissette (k), et demum, ut alia mittam, in Opere nostro in Commentario de S. Pantalo (l), ubi egregia disquisitio exstat adversus eos qui Pictavenses episcopos aliquando Ratiatenses dictos fuisse volunt, et in Commentariis Academiæ inscriptionum Parisiensis, in quibus (m) legitur abbas Belley dissertatio de Ratiaco, antiquo Galliarum civitate.
- B *2* Nomen porro S. Vitalis, qui Ratiatense territorium suis collustravit virtutibus, inter tam arctos fines conclusum remansit, ut non semel decessores nostros fuerit remoratum. Etenim cum Sollerius, Usuardini Martyrologii editor, atque in Sanctis accurate cognoscendis, distinguendisque facile princeps, ad præsentem diem in codice Usuardino D. Le Mare
- C *reperisset*: In territorio Ratine, Sancti Vitalis Confessoris, addidit: Hunc mihi plane ignotum fateor. Qui vero catalogum Prætermissorum ad diem XIV Octobris confecit, rite scribit S. Vitalis Confessoris ad hanc diem meminisse Grevenum; sed et hæc subdit verba: Dubitandum non apparet, quin is unus idemque sit cum Sancto homonymo, quem ad XVI mensis hujus diem Usuardina inter Auctaria Sollerius recenset, quemque non secus ac hic ibidem, fatemur nobis plane ignotum. Sed nihil est in istiusmodi assertis quod admirationem exciet, quandoquidem in ipsa parocia Leynes diocesis Augustodunensis, in qua noster Vitalis absque dubio patronus est, minime innotescit; ita ut credant incolæ S. Vitalis, Savigniacensis abbatis, patrocinio atque titulo templum suæ parociæ gaudere. Audi scilicet R. D. Guillard hujus loci deservitorem in epistola, XII Januarii anno 1841 data: In veteri actorum libro, qui penes me est, traditur S. Vitalis, abbas Savigniacensis in Normannia, patronus esse templi Leynes; late ejus vita explanari tomo XIV Historiæ Ecclesiasticæ Fleury; et XIV Octobris ejus festum agi. Alias traditiones colligere nequivi, et nullum unquam Officium proprium inveni in mea parocia. Verum ad has disturbandas tenebras satis fuerit perducisse Castellanus, hæc recte omnino in universali suo Martyrologio ad præsentem diem memorantem: In pago Ratiatensi in Britannia Minori, S. Vitalis, eremitæ, cujus corpus temporibus irruptionis Normannicæ Trinorchium, Burgundiæ monasterium, delatum fuit. Sic Castellanus, gallico tamen idiomate usus.
- D *3* Licet ex his satis liqueat quantopere quidam hallucinati sint, dum de Sancto nostro Vitali ageretur, causa tamen hallucinationis non est quod omnia ejus gesta lateant, vel quod non facile ab homonymis distinguatur: etenim, ut ab hoc capite exordiamur, cum Confessor fuerit atque dicatur, sine negotio distinguitur a quinquaginta et pluribus Vitalibus, qui martyrium passi sunt. Confessores vero, qui Vitales quoque dicti fuerunt, hi sunt: Vitalis qui ex Martyrologiis diei II Januarii in Opere nostro adscribitur et vix cognocitur; Vitalis, abbas Savigniacensis, cujus festum agitur VII Januarii; tertius Vitalis cultum obtinet Spoleti die XXI ejusdem mensis; quartus, qui IX Martii colitur, sæculo X abbatem Ordinis S. Basilii Armenti et Rapollæ agebat in Sicilia; quintum referunt Martyrologia ad XXXI Maii, eumque a Bastia cognominatum, noverunt Hagiophilii e tertio ordine S. Francisci fuisse; sextus, ex Martyrologiis notus, et diei XXIII Julii adscriptus, episcopus Ravennas videtur fuisse; septimus vero Vitalis die XX Octobris Salisburgi in Germania, ubi sæculo septimo episcopus sedit, colitur.
- E *4* Octavus ad annum 777 innotescit ex testamento longiori S. Fulradi, abbatis S. Dionysii prope Parisios, quod ediderunt Dubois (n), Mabilonius (o), Cointius (p), Felibien (q), Scheidius (r), Granddier (s) et Neugart (t), et in quo legitur: Similiter sexta cella, ubi Sanctus Vitalis requiescit, super fluvium Nettra, quæ Hafti mihi tradidit, et ex ejusdem testamento breviori, quod ab uno Granddier (u) editum fuisse sciam, quodque habet: Simi-
- F *de quorum uno, obscuro plurimum, jusus disse-*  
*ritur;*

floruit S. Vitalis, atibi parum notus;

(a) Hist. de Nantes, p. 45 et seqq. Confer Chron. Fontnellense, Fragmentum Hist. Britannia Armorica, Annal. Sam-Bertinianos, etc. D. Bouquet, t. VII, p. 42, 49, 68, etc. — (b) Nott. Gall., p. 245. — (c) Hist. de Nantes, p. 50. — (d) Chron. Nannetense ap. D. Morice, Mémoires pour l'hist. de Bretagne, t. I, col. 137. — (e) Ibid., col. 139 et seq. — (f) Ibid., col. 140. — (g) Confer opus R. D. Tresvaux, l'Eglise de Bretagne, p. 62. — (h) FF. Sannarthani Gall. Christ. Antiq., t. IV, p. 241. — (i) Mémoir. pour l'hist. de Bretagne, t. I, col. 621. — (k) T. VI, p. 462 et seq. — (l) T.

VI Octob., p. 78 et seq. — (m) Mémoir. de l'acad. des inscript., t. XIX, p. 722. — (n) Hist. Eccles. de Paris, t. I, p. 269. — (o) Act. Sancti Ord. S. Bened., sæc. III, part. II, p. 309. — (p) Cointius Annal. Eccles. Franc., t. VI, p. 131. — (q) Hist. de S. Denis, piéc. justific., p. xxxviii. — (r) Orig. Guelfic., t. I, lib. II, prob. p. 225. — (s) Hist. de l'Eglise de Strasbourg, t. II, piéc. justific., p. cxxii. — (t) Cod. diplom. Alemann. t. I, p. 63. — (u) Hist. de l'Eglise de Strasbourg, t. II, piéc. justific., p. cxxvii.



A liter sexta cella, ubi Sanctus Vitalis requiescit supra fluvium Necræ. Hujus vero cellæ situs magis determinatur diplomate Ludovici II seu Germanici, anno 866 dato, et a Doublet (a), Mabillonio (b) et Bouquet (c) edito; illic enim legitur: Hetsilinga in pago Nechragawe super fluvium Nechra, ubi Sanctus Vitalis Confessor corpore requiescit. Pagus autem ille Nechragawe, seu Necergowe, Neccariensis, Necchagowe, totus fere jacebat in Suevia ad utramque fluvii Neccari (le Necker) ripam, a flumine Vitusa (le Fils) prope arcem Teck ferme usque ad castellum Dilsperg prope Neckergemundam (d). Hetsilinga vero absque dubio Eslinga seu Etsilinga est ad Neccarum fluvium; de quo imperiali oppido Baudrandus aliique geographi plura explicant. Ast de cella, quæ ibidem exstabat et ubi S. Vitalis quiescebat corpus, nuspiam certi quidpiam reperire potui. Neugart (e) quidem ait eam aliquando floruisse; verum si floruit, ita floruerit oportet, ut de ea ex citatis diplomatibus sciamus tantum, dono eam datam fuisse ab Hasti S. Fulrado abbati San-Dionysiano, qui eam cum altis multis monasterio suo donavit; jam tempore clarissimi avi sui Karoli ac domni genitoris sui Hludovici piissimi augusti mercatum in prædicta cellula Hatsilinga fuisse, ut Ludovico Germanicus in citato diplomate loquitur; eumque cum cella, petente abbate Hludovico, in suam tuitionem susceptam fuisse ab eodem Ludovico Germanico; quoniam, cum quam maxime procul a S. Dionysii abbatia abesset cella illa, malevolorum vexationibus nimium erat obnoxia: unde liquet non audiendum esse Beatum Rhenanum (f) et qui eum descriperunt, Crusium (g) et Sattlerum (h), cum contendunt Eslingam Fulrado dono datam fuisse a Carolo Magno; qui alias quidem in Alemannia villas San-Dionysianis monachis contulit (i), minime vero Eslingam, quam ab Hasti accepit Fulradus. Quid vero deinde factum fuerit, mihi prorsus in obscuro jacet, adeo ut D. Franciscus Petri in Suevia sua Ecclesiastica, licet plura Eslingensia monasteria commemoret (k), de cella hac ne verbum quidem faciat; atque idem dixerit de Zeillero, qui in sua Germaniæ Topographia (l) pluribus Eslingam illustrat, de S. Vitalis autem cella alto tacet silentio. Veruntamen, cum ex eo noverimus præcipuum Eslingense templum S. Dionysio sacrum esse, et vocabulum cella, ut superius in Commentario de S. Salvio (m) fuse demonstravimus, ædiculam æque ac monasterium olim significavit, vehementer inclinor ad credendum cellam S. Vitalis ædem sacram, non cenobium fuisse, in quo jus patronatus aliaque similia haberent San-Dionysiani; inde in ea ortum et promotum fuisse S. Dionysii cultum; cujus nomen, cum tulit occasio, reedificando templo inditum fuisse; eamque jure antiquitatis remansisse præcipuam. Jam quis ille Vitalis Confessor sit, qui sæculo VIII in cella Hetsilinga corpore quiescebat, nuspiam reperire potuimus. Verum cum verisimile non sit eundem esse ac unum e præcedentibus, hæc de ejus cultu hic congerere placuit, ut ne penitus in Opere nostro omitteretur.

5 Quod autem in præsentiarum notandum est, minime confundendus est hic S. Vitalis cum S. Vitali Ratensi, qui numquam in Suevia requievit. De reliquis vero omnibus sic appellatis non est cur dicam; de S. Vitali Salisburgensi ex historia hujus episcopatus tantum notavero eum etiamnum Salisburgi sepultum esse; unde sine negotio a nostro

Sancto sæpe translato distinguitur. Sanctus Vitalis vero Savigniacensis abbas, licet reapse, ut num. 1 monui, confundatur cum Ratensi, non difficilius ab eo separatur; etenim primo, Savigniacensis abbas sæculo XII vixit, noster vero Vitalis pluribus sæculis ante; secundo, hic Anglus natione fuit, ille Gallus; tertio, vixit prior in eremo et fors in Nigro monasterio, posterior in Savigniacensi monasterio, quod condidit; et multum abest quin eremitam egerit, cum et rebus politicis sæpius fuerit implicatus; verbo in tantum a se invicem distant, ut unum nomen eis commune sit, præter hoc nihil. Mitto reliquos Sanctos Vitales. Hinc gradum ad nostri biographos facio.

6 Anno 1724 edidit D. Lobineau collectionem S. Vitalis Vitarum Sanctorum Britannia Minoris, quam nuper, anno nempe 1836, R. D. Tresvauz, canonicus Parisiensis, solerti manu castigatam auctamque denuo in lucem emisit. In tomo secundo (n) hujus editionis habes Vitam nostri Sancti concinnatam, ut illic inscribitur, tum ex biographa, quam P. Albertus le Grand desumpserat ex veteri codice Ms., asservato in parœciali S. Vitalis ecclesia diœcesis Nannetensis, tum ex Historia abbatia Trenorchiensis D. Juenin, Trenorchiensis canonici. Idem dicere potuisset de sua S. Vitalis biographia R. D. de Garaby, scriptor Vitarum Sanctorum Britannia, anno 1839 editarum. Quoniam vero excusa S. Vitalis Vita conjecturas rebus certis immixtas habent, operæ pretium est nosse quid profiteatur P. Albertus de biographæ suæ fontibus. Sic ejus dicta, e gallico idiomate in latinum versa, sonant: Collecta est hæc Vita ex Ms. pergamenno, quod in ecclesia parœciali S. Vitalis in territorio Ratiatensi asservatur, quodque historiam lectionibus, hymnis, responsoriis, antiphonis et propriis distinctam capit et nobis a venerabili et discreto domino Francisco Merlet, rectore dictæ parœciæ, et partim quoque ex commentariis Mss. et traditionibus insignibus, annotatis a dicto rectore; quæ cuncta conformia sunt Annalibus Britannia et inviolabili temporum rationario. Curante autem R. D. Delvauz S. J., residentia Nannetensis superiore, operamque suam conferente R. D. Auloisenet secretario illustrissimi episcopi Nannetensis, ad nos missus est codex chartaceus, tritus omnino, in cujus fronte gallice legitur: Vita S. Vitalis, Confessoris, patroni hujus ecclesiæ, consona cum Vita Ms. quæ hic asservatur. In calce autem codicis scribitur: Liber fabricæ S. Vitalis, inchoatus a domino Francisco Merlet presbytero et rectore dicti loci, anno millesimo sexcentesimo trigesimo octavo, die xvi Januarii. — Index rerum in hoc libro contentarum: 1° Vita S. Vitalis, Confessoris, patroni hujus ecclesiæ et parœciæ. Quæ sequuntur in indice, non pertinent ad nostrum Sanctum. In nota vero quam idem D. Merlet Vita S. Vitalis subject, quamque paulo inferius integram exhibebo, asseritur nihil aliud præter præmissam Vitam in scriptis exstare. Cum vero manifestum sit omnia, quæ ad ipsam S. Vitalis in terris degentis Vitam pertinent, non ex monumentis a D. Juenin in Trenorchiensis historia collectis, sed ex scriptis Alberti le Grand a D. Lobinavo deprompta esse; ex recitatis sequitur inter conjecturas referri debere cuncta Lobinavi vel ipsius Alberti asserta, quæ in hoc Ratiatensi codice reperire non est. Atque hæc est ratio cur non displicuerit horum scriptorum verba late exhibere.

reliquis  
Confessoribus  
sat cog-  
nitis.

(a) Hist. de l'abb. de S. Denis, p. 784. — (b) De Re Diplomat. p. 401. — (c) Rec. des Hist. de Franco, t. VII, p. 421. — (d) Cfr Chron. Gotwic., t. II, p. 701 et seq. — (e) Cod. diplom. Alemann., t. I, p. 63. — (f) Lib. tres Rer. Germanic., p. 208, edit. 1712. — (g) Annal. Suev., t. II, p. 4. — (h) Geschichte

des Herzogthums Württemberg, p. 517, 644 et seq. — (i) Doublet, Hist. de l'abb. de S. Denis, p. 712 et seq. — (k) Suev. Eccles., p. 318 et seq. — (l) T. IV Beschreibung des Schwabenlands, p. 69 et seq. — (m) p. 854. — Hist. des Saints de Bretagne, t. II, p. 251.

D

S. Vitalis  
Vite, editæ a  
Lobinavo,  
de Garaby et  
Alberto le  
Grand non  
omnibus  
conveniunt

E

F



A  
cum fontibus, qui hic describuntur.

7 Jam hic San-Vitalensis codex describendus est.

In primis notandum venit hanc Vitam gallicam tantum esse versionem, paratam a dicto D. Merlet, viro pietate, zelo et prudentia commendabilis quantum ex pluribus hujus libri adjectis annotationibus conjicere licet. Porro præ manibus nobis est duplex ecgraphon lectionum, quas olim Trenorchienſes recitare solebant: alterum descriptum ex Breviario Trenorchienſi, circa annum 1577 manu exarato, nobis submitit prælaudatus D. Tresvoux; alterum in collectione Bollandiana ad XVI Octobris in bibliotheca regia Bruxellensi asservatur; easdem præterea lectiones in Historia sua Trenorchienſi olim edidit noster Chiffletius. Jam vero cum has lectiones cum Vita gallica Ms. conferrem, continuo manifestum fuit Trenorchienſes lectiones partem esse Vitæ latinæ, quam olim in vico S. Vitalis asservatam esse ex P. Alberti testimonio cognovimus. Fas itaque est secure judicare qualem in vertendo San-Vitalensis rector fidelitatem coluerit: visus itaque est ubique sensum sensui reddidisse, sed pluribus fere diluisse verbis; atque hæc in genere pronuntianda videntur; specialia ad Vitæ calcem inter annotata rejicere præplacet. Cum autem nos lateat ubi terrarum vetus latinum San-Vitalense Ms. asservetur,

B

illa gallica versio denuo latina facienda fuit; qua in re hanc servavimus rationem: quæcumque in Trenorchienſibus lectionibus reperiremus, hæc descriptimus ad verbum; quæ autem in versione gallica tantum occurrerant, hæc unciis [ ] inclusimus et verbotenus fere in latinum vertimus idioma, non omittentes has inserere voces quas, etsi minus latinas, in primævo textu exstare satis indicabat ipsius versionis insolentia. Hoc vero primævum Ms. latinum e triplici monumento consutum videtur: prima pars complectitur encomium potius quam Vitam, videturque omnium antiquissima; secunda pars constat miraculis, quæ inter annum 839 et 858 contigisse videntur et forte collecta sunt ab ipso Ermentario, qui S. Filiberti miracula, ut brevi videbitur, descripsit; tertia pars fere tota ex Ermentarii scriptis texta est. Ex nota quam nuperimæ suæ editioni Vitarum SS. Britannicæ Minoris Alberti le Grand subdidit Daniel Ludovicus Miorcec de Kerdamet intelligo Lobinavium maxime desiderasse hæc Acta, quod sibi viderentur antiquissima, et venerabili conspersa simplicitate, quæ horum operum pretium est: quæ sententia nitebatur sola Alberti le Grand scriptione. Inspectis tabulis, ipse lector benignam salutem feret judicium.

C

S. Vitalis  
alias a variis  
statuitur;

8 His animadversis, dicendum jam superest de ævo, vitæ ratione, Reliquiarum fato, cultuque S. Vitalis. Et primo quidem de ævo: affirmat Albertus le Grand S. Vitalem circa annum 702 in Anglia e nobilibus genitoribus ortum esse et anno 725 ad S. Filiberti monasterium, quod in insula Hero seu Nigri monasterii ad Ligeris ostia erat, devenisse, religiosam suscepturum vestem. In recenti vero editione Vitarum Sanctorum Britannicæ D. Lobinavii et in Vitis Sanctorum Britannicæ R. D. de Garaby annus nativitatæ siletur; tempus vero ejus ad S. Filiberti monasterium adventus ad annum circiter 725 refertur. A liter omnino San-Vitalensis rector Merlet sentit; juverit uno tractu referre quidquid in S. Vitalis Vitam annotaverit, hæc gallice disserens: Non traditur in hac historia, quo anno S. Vitalis territorium Ratiatense adierit, aut que anno supremum diem obierit. Verum ex annalibus Britannicæ alisque historiis conjici potest eum ex Anglia in Britanniam transiisse cum aliis multis Anglis e sua patria ob fidem catholicam pulsus, et in dictum locum Scobrieth (qui nunc vicus S. Vitalis est) devenisse circa annum quingentesi-

mum sexagesimum, eumque illic ad senectutem usque vixisse, quemadmodum in Vita narratur. Sæculis vero circiter duobus post ejus mortem ingruit persecutio; et monachi, qui ad illic habitandum et divina officia in sacrario ab ipso Vitali exstructo peragendum missi fuerant, abierunt cum aliis vicinis monachis, ejusque detulerunt corpus ad Trenorchienſe monasterium, aut ad aliud Burgundiæ cœnobium ad Araris ripas situm, et quindecim aut viginti circiter leucis Lugduno distans. Ex hoc monasterio venit post persecutionem ad nostras oras quidem monachus, et quod secum asportabat S. Vitalis brachium reliquit in dicto loco S. Vitalis, ubi asservatur ejus historia, ut supra exposita est, et cui credere possumus, dum de eo nihil aliud in scriptis exstet. Ex quibus manifestum est annum 725, excogitatum ab Alberto le Grand et a Lobinavio æque ac a R. D. de Garaby admissum, non secus ac annum 560 a Francisco Merleto adstructum meras esse conjecturas: quamobrem satius nobis visum est incertum ejus relinquere ævum; quod ex relatione miraculorum et ex diplomate anni 839, partim inferius recitando, sæculo IX antierius fuisse solummodo cognovimus.

D

9 Secunda quæstio ad S. Vitalis vitæ rationem pertinet. Pluribus narrat le Grand, (quem hoc loco ad verbum fere sequitur Lobinavii.) S. Vitalem ad Ligeris ostia venisse, ibique permulta audivisse de sanctitate S. Filiberti monachorum: his relationibus permotum, perrexisse ad Herensem, seu Nigri monasterii insulam; sese ad abbatis pedes projecisse, sibi expetentem religiosam vestem, qua post non ita diuturnam probationem anno 725 indutus est; neque silet quis ejus deinde per tirocinii annum fervor fuerit; eoque expleto, qua ratione unanimi monachorum consensu ad professionem religiosam fuerit admissus; eum deinde, post emissam professionem, vitæ solitariæ amore incensum, postulasse atque ab abbate suo consecutum esse licentiam in solitudine montis Scobrieth (quem jam dicimus vicum esse S. Vitalis in diocesi Nannetensi) ædificandi sibi cellulam, in eaque habitandi. Utinam hæc omnia convenirent cum usibus monasticis horum temporum, atque adeo aliquibus historicis monumentis niterentur! At nihil aliud in confirmationem adduci potest, quam quod in ejus Vita num. 5, dicitur vel Deum S. Vitali inspirasse, vel quemdam abbatem aut alium superiorem, sub cujus obedientia et directione vitam suam sanctam componebat, jussisse, ut sacrarium ædificaret. Verum totus hic numerus ex populari traditione ab ecclesiæ rectore Merleto, ut ipse fatetur, Vitæ intrusus fuit. Equidem sentio universum hoc commentum ortum esse ex eo quod ecclesia S. Vitalis Nigri monasterii monachis data sit, et sacrum ejus corpus post irruptionem Normannicam apud eosdem, Trenorchium digressos, fuerit asservatum. Sed si res rite perpenditur, nescio an potius hujus ecclesiæ donatio pretensæ huic religiosæ professioni obstet. Pronum saltem est æstimare futurum fuisse, ut sacrarium aut ecclesia a monacho exstructa ab initio penes ejus monasterium foret. Contrarium tamen discimus ex diplomate Ludovici Pii imperatoris, dato Pictavis v kalendas Decembris anno sui regni xxvi, Christi 839, indictione tertia.

traditio,  
qua fertur  
Herensis  
monachus  
fuisse, vide-  
tur niti in  
eo, quod He-  
renses ejus  
corpus

F

10 Ecce excerptum hujus diplomatis, quale exstat tum apud Chiffletium nostrum inter Probationes ad Historiam Trenorchienſem (a) et in Collectione Scriptorum Gallicæ D. Bouquet (b):...Notum esse volumus... quia divino tacti amore contulimus ad monasterium Deas, in quo Sanctus Filibertus

et ejus eccle-  
siam post  
annum 859  
ex Ludovici  
Pii diploma-  
te possede-  
runt:

(a) P. 194. — (b) T. VI, p. 628.



A Confessor Christi corpore requisit, constructum in honore Beatissimorum Petri et Pauli Apostolorum, ubi venerabilis vir Hilbodus abba praesse dinoscitur, quamdam villam juris nostri, nomine Scobrit, quae est in pago Pictavo, in vicaria Racine, cum omnibus ad se pertinentibus vel aspicientibus, et cum mancipiis utriusque sexus vel aetatis. Memoratam itaque villam, cum ecclesia Sancti Vitalis, domibus, caeterisque aedificiis, terris cultis et incultis, vineis, pratis, pascuis, silvis, salinis, molendinis, exitibus et regressibus, quantumcumque ad praedictam villam pertinet, et nostri juris atque possessionis jure proprietatis est, totum et ad integrum vel inexactum, de nostro jure in jus et dominationem praedicti monasterii transferimus: ita videlicet, ut quicquid ab hodierno die et deinceps rectores atque ministri ejusdem monasterii de praedicta villa, vel de iis quae ad eam pertinent, facere, ordinare, atque ad utilitatem ejusdem monasterii facere elegerint, liberam atque firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi. . . Notandum est, hanc donationem factam esse, cum Herenses monachi praemetu Normannorum, in dies imminentium, ex Hero insula cum corpore S. Filiberti perfugissent in cellam Deensem (gallice Grandlieu, prioratum in diocesi Nannetensi ante saeculi superioris tumultus.) quam paucis annis ante Arnulfus Herensis abbas in pago Herbadilico seu Ratiatensi juxta Nannetas ad Bedoniam fluvium aedificaverat. Atque dum haec attulimus ad vocandam in dubium aut at negandam S. Vitalis monasticam professionem, simul nos accinximus ad agendum de variis S. Vitalis Reliquiarum translationibus.

hi autem pra Normannorum metu ad varia loca et demum Trenorchium

11 Modo Herenses monachos ad cellam Deensem venisse intelligere fuit; quod anno 836 factum est. At anno 841 denuo irruunt Normanni, cogunturque Herenses seu Deenses fugere in locum, latine Conaldum, gallice Cunault vocatum, situm in territorio Andegavensi, ad ripam Ligeris; quem Carolus Calvus, antequam Andegavi caperentur, Herensibus in refugium dederat, dum corpus Beati Filiberti adhuc in monasterio Deensi quamvis a Normannis incenso, mansisset. Sed cum nulla jam spes Deensis aut Herensis monasterii repetendi foret, anno Christi 858 Conaldum asportatur S. Filiberti corpus, et verisimillimum est ei associatum fuisse ex hoc tempore corpus nostri S. Vitalis, non secus ac alia sacra lipsana. Anno autem 862 sanctum unum delatum est Mesciacum, territorii Pictavensis villam, in qua quamdiu substitit exploratum non est. Haec ab Ermentario, monacho Herensi testeque osculato, partim anno 836, partim anno 863 latius descripta sunt in Miraculis et Translationibus S. Filiberti (a). Quae vero sequuntur, excerptimus ex Falcone, monacho Trenorchensi, qui saeculo undecimo Chronicum sui monasterii contexit et usque ad annum 1087 deduxit: quod edidit Chiffletius in Probationibus Historiae Trenorchensis (b), et cujus partem non exiguam inseruit Cuperus suo de S. Filiberto Commentario (c). Ex hoc itaque novimus inter Normannorum praedationes Herum insulam non usquequaque a monachis desertam fuisse; ex his tamen plerosque hic illuc vagatos esse, donec tandem Geilo, abbas factus, Carolum Calvum adiit, quatenus Beato Filiberto adhuc in terra corpore peregrinanti sibi que adherentibus locum praebere refugii dignaretur; cujus petitioni rex libenter annuens, tribuit abbatiolam Sancti Portiant, confirmavitque hanc donationem diplomate, dato anno 870, saepiusque edito: tum in utraque Dacheriani Spicilegii editione,

tum in Historia Trenorchensi D. Juenin, tum in Collectione Scriptorum Galliae D. Bouquet. Afirmat in eo rex a se hoc donum fieri, ne diutius Herenses huc illucque vacillantes discurrant. Atque tum anno, videlicet 871, ex Pictaviensi agro, e villa nempe Mesciac, in pagum Arvernensem, qui S. Portiant capiebat abbatiam, Herensium sacra pignora sunt delata. Quinquennio post Geilo denuo Carolum regem adiit, novum donum, Trenorchium scilicet olim Cabillonensis diocesis abbatiam, cum suis appendiciis Beato Filiberto postulaturus imperaturusque. Redit ergo ad suos, ut loquitur Falco, et sacra pignora secum tollens cum regalibus traditionum munimentis pridie idus Maji praefatum venit ad Trenorchium. Fuit hic itaque finis peregrinationum S. Vitalis aliorumque Sanctorum corporum.

12 Si quis autem novisse cupierit quae sacra lipsana nostri S. Vitalis corpus comitata fuerint, audiatur Falconem hac de re late devotique disserentem: Horum autem divinae praerogationis numerum nomina dicere, non multum necessarium, sed nec penitus facile reor. Quis enim praeter Redemptoris nostri, quibus ab ipsa, ut ita dicam, nativitate, juventute, ipso etiam tempore passionis usus est vestimenta, vel quae ipsa sacratissima Genitrix ejusdem, vel sibi coaptavit, vel filio, ipsasque geminas quibus soli Deo nota nobis incognita sacra continentur passiones; ipsumque quo idem Redemptor in passione passus est vinciri ligamen; ipsum etiam salutiferae crucis lignum; idemque denique vas primo Salvatoris miraculo consecratum; illud quoque Sanctissimi corpus Philiberti; quis, inquam, his praemissis, innumerabilium sanctorum quorum eo die ibidem sunt allatae Reliquiae minutias dinumerare, vel nominare valebit? Cur Sanctos Candidum, Clinumque Martyres commemoremus? Cur Sanctum Vitalem, Basilium aliosque nonnullos? Quorum tametsi gloriosa penes nos corpora retinentur; vereor tamen nominatum huic eos inferre opusculo, ne apud tardiores temere videar inficiari. Credimus plane tamen Beatum Valerianum dignis a Deo meritis obtinuisse, ut ejus sanctissimum corpus apud homines tantae sanctitatis, benedictionis honorari consortio meruisset. Trenorchensis patronus jam pridem erat S. Valerianus: qui sint reliqui Sancti hic enumerati, modo dicendi locus occurret.

13 Plura porro saecula pie asservaverant Trenorchenses monachi haec sacra pignora; ast anno 1562 Calviniani, in hanc abbatiam irrumpentes, omnia fere sus deque verterunt, in primis autem saevierunt in haec religionis monumenta. Exstat in Chiffletiana Trenorchensi Historia catalogus sanctorum pignorum, quae hi pietatis osoros incenderunt: non castigatus quidem omnino est, cum et S. Filiberti corpus recenseat, quod tamen eorum furorem feliciter evasisse aliunde novimus (d). In eo itaque numerantur corpus S. Filiberti, corpus S. Valeriani, corpus S. Candidi senatoris, qui in Actis S. Mauritii nominari dicitur, corpus S. Clini, quem a Sarracenis (imo Normannis), Herense monasterium evertentibus, martyrio donatum arbitrantur, corpus S. Samsonis Dolensis episcopi, corpus S. Basilii, corpus S. Benedicti de Quinciaco, corpus S. Vitalis, corpus S. Arnulfi, corpus Beatissimi Ardagni, abbatis Trenorchensis, quem xi Februarii colebant, una hydria nuptiarum Canae, sindon Christi Domini, pars sudarii, dens et pili barbae S. Petri, duae costae S. Stephani et guttae sanguinis ejusdem Sancti, frustaque lapidum, quibus obrutus est. Antea

D

deferunt S. Vitalis corpus cum aliis multis lipsanis;

E

F

quae pleraque anno 1362 a Calvinianis comburantur.

(a) Act. SS. Ord. S. Bened., smc. iv, part. i, p. 539 et Act. SS. t. IV Aug., p. 81 et seqq. — (b) P. 15 et seqq. —

(c) Act. SS. t. IV Aug., p. 72 et seqq. — (d) Act. SS. t. IV Aug., p. 75.



A *vero in vicum Sancti Vitalis in Britannia Minori brachium hujus Sancti delatum fuerat, ut ex superioribus productis rectoris Merleti commentariis constat, atque idem etiamnum illic asservatur, ut ex præsentis parochi litteris nobis innotuit.*

Floruit S.  
Vitalis cultus  
Trenorchii,

14 S. Vitalis cultus apud Trenorchenses celebris semper fuit; constat id non tantum ex veteri Sanctorum corporum apud eos asservatorum catalogo, inter Chiffletianæ Trenorchensis Historiæ probationes (a) impresso, aut ex veteri kalendario ibidem edito, exhibentique ad xvi Octobris festum S. Vitalis Confessoris; sed in primis eruere est ex Trenorchensi Chronico (b) Falconis; in quo apud Chiffletium (c) hæc habes: Wago post Odonis obitum pastorale suscepit officium: qui inlustrium vestigia patrum secutus, futuris probitatis suæ monumenta reliquit. Anno autem regiminis sui decimo octavo, (qui saltem annum 1006 aut 1007 signat, ut ex prædecessoris ætate, annum 989 attingentis, liquet.) in festo Beati Vitalis, dum totum monasterium festive utpote pro sollempni patroni nostri gaudio foret ornatum, per famulorum incuriam igne consumptum est cum omnibus officinis, tamque valida flatu ventorum exstitit ignis vastatio, ut pene omnis suppellex monasterii consumeretur præter Sanctorum memorias, et partem ornamentorum ad cultum Dei pertinentium; quod latebræ cryptarum ejusdem monasterii vix celare potuerunt. Erat præterea in ecclesia abbatiæ sacellum, quod Bulla sæcularisationis capitulo unitum fuit et cujus S. Vitalis una cum S. Martino Vertanensi patronus titularis erat, ut testis est Juein in sua Trenorchensi Historia (d). Ibidem refragatur hic auctor Chiffletio, asserens jam pridem apud Trenorchenses absque solemnitate actam fuisse S. Vitalis festivitatem.

in alio Burgundie loco, in vico S. Vitalis

15 Neque se continuit S. Vitalis cultus intra monasterii septa. Insigne specimen Burgundionum pietatis erga S. Vitalem n. 21 et 22 Vitæ hujus Sancti occurrit. Sitne vero ex hoc tempore repetenda religio, qua quædam hujus terræ tractus ecclesiæ S. Vitalem in patronum elegerunt, judicet lector. Anno saltem 1120 parocia de Lenna eum jam ut patronum titularem habebat; quod colligitur ex diplomate, dato idibus Maii, indictione XII, quo Calixtus Papa II primo sui pontificatus anno Trenorchensibus permultas confirmat possessiones, quas inter in Matisconensi diocesi... ecclesiam... Sancti Vitalis de Lenna. Neque sola ad eos pertinebat ecclesia, sed et tota ditio, quam ut sibi servarent abates, construxere castellum tempore Caroli regis VI, quod regnante Ludovico XI sæpius captum et receptum fuit, ut habet liber recens editus cum titulo: Annuaire du département de Saône et Loire pour l'année 1839. Ex litteris vero præsentis parochi, ad frontem hujus Commentarii jam adductis, etiamnum hunc cultum vigere nobis constitit. Quod vero pertinet ad illum, qui S. Vitali exhibetur in vico, qui ab ipso suum nomen in diocesi Nannetensi mutuatus est, in annotatis ad ipsam Vitam de ea dicendum erit. Satis hic fuerit exhibuisse quotidianam commemorationem, quæ olim usurpanda erat Sannetensi rectori, ut ex Merleti scriptis intelligimus:

AD LAUDES: Sancte Vitalis, Christi Confessor, audi rogantes famulos, et impetratam cœlitus tu defer indulgentiam.

VERSUS: Ora pro nobis, Beate Vitalis,

RESPONSORIUM: Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

AD VESPERAS: Nobilis Christi Confessor Vita-

(a) P. 308. — (b) Num. 45. — (c) Hist. Trenorch. probat., p. 28. — (d) Hist. de Tournus, p. 44. — (e) A Memorial of

lis, vitam vere nobilem ducens, vitam æternam meruisti recipere, et tuis cultoribus incolumitatem obtinere.

VERS. Ad te confugimus, Beate Vitalis, RESP. Suscipe preces nostras et vitam nobis impetra beatam.

ORATIO: Adesto, Domine, supplicationibus nostris, etc.

16 Non stetit in Gallia S. Vitalis cultus: e Britannia Minori transit in Britanniam Majorem, adeo ut dum illa eum veluti incolam, hæc tanquam indigenam veneraretur. Atque hæc manifesta nobis sunt ex Martyrologio Anglico (e), in quo ad diem xvi Octobris ex Dedicationibus Willis asseritur, olim in ea Angliæ parte, quæ Vallia dicitur, exstitisse templum, quod sub patrocinio Sancti nostri Vitalis divino dicatum erat servitio. Paucis his de S. Vitalis gestis et cultu præmissis, subdimus Vitam descriptam superius.

et in ipsa Anglia.

## VITA ET MIRACULA

### S. VITALIS CONFESSORIS.

Ex duplici Ms. Breviario Trenorchensi, collata cum editione Chiffletii S. J. et suppleta ex Ms. gallico ecclesiæ sancti Vitalis.

Vita, miracula et translationes S. Vitalis.

In hujus itaque territorii Ratinsis a ambitu et loco secretiori exstitit quidam incola ducens progeniem ex gente Anglica, quem decoravit non solum parentum nobilis prosapia, sed et morum ineffabilis elegantia. — Qui dum genus duxit de gente pulcherrima b, pulchrior fide factus perfecta, adhæsit auctori toto nisu sui desiderii, ita ut, relicto omni præsentis vitæ lenocinio, ac militiæ terrenæ tyrocinio, labentia respuens, inhianter vitæ præceptis adhærens, ardua vitæ arctioris vota assumens, soli placere Deo studens elegerit singulariter cum Deo juste vivere, quam positus cum plebe humana assidue peccare. — Quod ideo studuit ut altius et velocius inimicum posset subjicere, qui protoplastum esu tentavit nefario, ac pro eo diu exilio relegatum retinuit infra flammæ fotentis et tenebræ domicilium. — Cujus veritus anfractus rapidos, digne vocatus homo Vitalis, contra illum assumpsit in capite crucis galeam, in corpore gestavit castitatis loricam, collo scutum sumens fidei. — Accinctus est ense justitiæ, ut legitime peracto certamine pugnæ, triumphatricis palmam victoriæ sumere posset a largitate suavis gloriæ.

S. Vitalis, Anglus, eremiticam ducit vitam in agro Ratensis:

a

b

2 Erat autem cellulæ habitatio beatissimi viri in ipso confinio Ratinsis, quodam in monte, Scobrit c nomine, in qua divina virtus ita hunc virum sibi ardentissimo amore copulavit, ut quæque fuerant terrena parvi pendens, veluti si in cœlestibus jam moraretur, totus homo sic erat intentus cœlo. — Diatim orationum instans labori, ducens continuatas noctes simili vigilantia, singultus et gemitus effundens lacrymarum, macans carnem ciborum inedia.

omnia erga Deum,

c

ancient British piety. Supplem., p. 26.



A  
erga ani-  
mam  
d  
3 [Sic d de die in diem proficiebat in charismatibus melioribus, corpus suum ita subiciens spiritui, et spiritum affectusque ita subdens suo Creatori, ut bonum exemplum et præcellens omnis virtutis et perfectionis imago foret in gratiam uniuscujusque se imitari volentis. Justus enim erat in suis actionibus, veridicus in suis verbis, mitis in suis moribus, munitus magno spiritali robore, largus in danda elemosyna, castissimus et honestissimus in anima et corpore, sanctus et pius in cogitationibus, sobrius in cibo et præterea humilitate plenus, perseverans semper in spe Dei Creatoris.]

et corpus  
suum  
B  
atque erga  
proximum  
adimplet offi-  
cia.  
e  
4 Erat vir specie amabilis, carus omnibus propter suum consilium, scientiam et doctrinam qua abundabat, in prosperitate non elatus, in adversitate non dejectus. Et licet paupere vestitu uteretur, nobilem tamen præferebat decorem, et in omnibus actionibus valde insignis erat; quandoquidem ornatus erat multis virtutibus, quæ eum perfectum reddebant in vera scientia divina, quæ in eo relucebat, omnesque quibus erat notus illuminabat, utpote mire effulgens in homine specioso, qualis erat ipse. Pulcher scilicet erat statura, clarus facie, et corpore bene compositus.

5 Porro inter omnes quæ in eo effulgebant virtutes eminebant amor et fervor ardens devotionis erga Deum et eximia caritas erga proximum. Licet enim vita solitaria, (quam e profitebatur, quo integrius vacaret meditationi rerumque spiritalium contemplationi, et cum Deo ageret), non sineret plurima ab eo fieri opera misericordiæ corporalia, verumtamen pro viribus se impendebat promovendæ Dei gloriæ, devotioni fidelium, et allevationi proximi necessitatum.

Cum sibi  
oratorium  
castrueret,  
mirabilem  
fontem elicti.  
f  
6 Ex traditione pro explorato tenetur in loco in quo sancte vixit (quæ nunc parœcia est ejus nomine insignita), die quadam, sive inspirante Deo sive jubente, quoddam abbate, aut alio superiore sub cujus obedientia et directione vitam suam sanctam componebat, peculiare ei studium fuisse ædificandi, in monte Scobriith, quem incolabat, oratorium quoddam in formam sacrarii; et, cum a toparcha de Princê impetrasset licentiam tignariæ materiæ ex silva de Princê g decidendæ, lignarios fabros boumque ductores cum curru bobusque in illam ab eo ductos esse; hos vero et animantia cum medium iter ligna reducentes peregissent, essentque in loco iniquo et procul ab omni domo remoto, atque aeris fervor et diuturna siccitas sæviret, intolerabili siti laborasse atque illic hæsisse. Quare sanctus vir genibus procubuit, oculos ad coelum et cor ad Deum Creatorem ac Dominum suum, cujus gratia laborabat et tantam patiebatur sitim, sustulit, eique ardentem supplicavit ut aquam, qua sitim levarent, impertiretur, ut iter perficere possent. Porro in Deo fiduciam suam collocans, telluri inseruit baculum, et illico ex eodem loco scaturivit aqua limpidissima, quæ deinceps prorumpere non cessavit; atque hoc pacto exstitit fons h, qui etiamnum in eodem loco salit et quo plurima stagna implentur: hinc semper cognominatus est fons S. Vitalis. Ad eum supplicantium ordine convenire assolent diuturnæ siccitatis tempore vicinorum vicorum incolæ, Deum per Beati Vitalis intercessionem imploraturi pluviam; quam quidem Deus sæpissime elargitur.

In Sancto  
demortuo  
h  
7 Demum cum vir sanctus post innumerabilia plurimarum virtutum bonorumque operum exercitia ad magnæ senectutis ætatem devenisset, morbo tentatus, veri Christiani implevit officia et

Deo reddidit animam, quæ feliciter tetendit ad fruendum inter choros Angelorum vita æterna i.]

8 Ut rite in eo adimplerentur evangelicæ beatitudines, in quibus pauperes spiritu capescunt regna cœlorum. — Mites possident terram viventium, et lugentes consolationem merentur perfectorum, esurientesque sitientesque justitia saginantur, ac misericordes bona maximæ pietatis inveniunt, patientiamque habentes filii Dei cognominantur. [Quod Deus in servo suo S. Vitali adimpletum fuisse commonstravit, quemadmodum inferius videbitur.]

9 Corpus beatissimi viri S. Vitalis positum est in lapideo sepulchro prope suam cavernam in eodem monte Scobriith (qui h olim penes sanctos senes religiosos monasterii Herensis erat). Quo in loco Scobriith perennem insignium et præcellentium ejus virtutum memoriam ab eo posteris relinqui voluit Deus Creator; ut cum divina potentia appareret, quanta reapse in massa ejus corporis apparuit, continuo recognosceretur in cœlis nunc vivere anima, quæ in terris illud inhabitaverat. Plura enim magna et insignia per illud operatus est Deus miracula l, quæ satis superque comprobabant ejus sanctitatem et felicitatem; quæ licet numero permulta sunt, pauca tamen tantum ex his quæ rescivimus notamus.

10 Deus itaque, volens corpus illius viri, qui se in vita tam fideliter amaverat sibi que famulatus erat, post mortem honorari, pluribus hominibus suggestit consilium pii hujus viri in corporis præsentia invocandi; quoniam spes eis esset fieri posse, ut is, qui Deo tam bene serviverat, plurimum ab eo diligeretur, atque proin sibi impetrare posset, quæ ad salutem atque vitam necessaria forent. Quibus precibus Deus tantam addidit virtutem, ut quæ peterent per merita sui servi et Beati Confessoris S. Vitalis assequerentur.

11 Talis sors obtigit cujusdam uxori, vici hujus Sancti incolæ, quæ, quia insana et animi imposita facta erat, a marito suo ad tempus separata fuerat. Cum itaque diu ac noctu hac illac vagaretur suas ineptias peragens, boni tandem a quibusdam consultum est eam in præsentiam Sancti deducere; ubi (non per suas preces) sed per devotionem eorum qui eam adduxerant et per auxilium et favorem sanctissimi Vitalis, paucis post diebus recuperato rationis usu, hæc quæ ægrota adducta fuerat sana rediit. Unde aperte cognita est magna amicitia qua Deus servum prosequeretur et potentia quam eidem concesserat.

12 Alia mulier nomine Oda, vici de Scobriith quoque incola, deserto hoc vico, in alium locum commigraverat, hic deinceps habitatura. Paulo autem post acerbissima manus epiphora tentata est; qui dolor ita excrevit ut juncturæ pollicis mediæ manus palmæ adhærerent. Unde ita deformis et vitata facta erat ut, omni hujus manus officio amisso, hoc membro capta et iners videretur. Tædio itaque tam diuturni doloris permota, rediit ad Sanctum morbi sui allevationem impetratura. In ejus ecclesia orationem suam devotè fudit; qua fusa, tetendit ad ecclesiæ limen, ut illic signum crucis formaretur in sua manu, cujus nervi contracti et breviati erant. Porro cum hoc signum factum et Sanctus invocatus foret, separatus est pollex, in locum suum rediit, nervi relaxati sunt et manus usui reddita; mulier vero se omnis doloris et debilitatis expertem sensit. Atque hæc ita nativæ valetudini restituta est, impensasque gratias et laudes Deo omnipotenti

D

i  
adimplentur  
octo beatitu-  
dines;

sepelitur

k

E

i

et clarescit  
miraculis:animi impo-  
tem sanat;

F

a manus epi-  
phora mu-  
lierem

et



**A** et clementi et S. Vitali ejus dilecto servo solve-  
rant tum ipsa tum quicumque aderant.

*et viram a  
nervorum  
contractione,  
m n*

13 Exstitit quoque in civitate Ploasnel Castro  
m vir quidam nomine Vulinus n, qui similiter om-  
nium nervorum et membrorum contractionem  
patiebatur, et languori, quo defatigabatur tenua-  
baturque, plurimum obnoxius erat. Porro conti-  
git ut homo quidam præcellenti et suprema pul-  
chritudine ei apparuerit, eumque monuerit: si  
sinerent vires, peteret ædem S. Vitalis, ut illic  
valetudinem recuperaret. Hic itaque homo, divina  
adjutus gratia, itineri se dedit, pervenit ut pot-  
erat ad ecclesiam S. Vitalis; et, nocte Nativita-  
tis Domini nostri Jesu Christi adventante, adiit  
ecclesiam, preces fudit, manibus gerens multa  
cum fide candelæ munusculum. Cum vero qui vi-  
gilabant, concinerent Dei laudes, in officio hujus  
noctis celebrari solitas, hora qua primum Missæ  
sacrificium inchoatum est, ægrotus qui aderat  
humis extensus jacuit, emittens lacrymas et que-  
stus miseris cum clamoribus, ita ut ad misericor-  
diam moveret omnes adstantes, qui cum eo fle-  
bant, et nostrum Redemptorem implorabant, ut

**B** per merita dilecti sui servi Vitalis dignaretur ei  
reddere sanitatem, eumque restituere corporis  
valetudini, quam ei olim concesserat. Quæ piæ  
supplicationes effectum suum sortitæ sunt: eo  
ipso quippe tempore ægrotus humo surgit, et ac-  
cedens ad altare invocat et implorat ex animo  
beatissimum Vitalem, ut per magna ejus merita  
vehementiam doloris sibi auferat et corporis san-  
nitatem sibi afferat. Atque tunc per virtutem et  
potentiam divinam hic homo, qui in mortis an-  
gustias jam venerat, sanus et toto corpore inte-  
ger factus est: opus dignum æterni opificis, qui  
ei vitam dederat, atque hoc prodigio honoravit  
fidelem suum servum Vitalem, ob cujus amorem  
concedit et patrat quicumque a se petatur. Om-  
nes variis ex locis illuc congressi, ut Missæ sa-  
crificio et toti nocturno officio interessent, oculati  
testes fuerunt hujus miraculi, quod in eorum con-  
spectu Deus patraverat.

*stiumque ab  
instanti  
morte libe-  
rat;*

*o*

**C**

14 Fama autem Sancti meritorum in tantum  
ubique sparsa est, ut ad aures plurimorum mor-  
bis aliisque necessitatibus laborantium pervene-  
rit. Hos inter numerandus est senex quidam, Ju-  
dicael nominatus, e vico de Frossay o, qui, cum  
æger decumberet, tanto dolore cruciabatur, ut  
jam animam Deo redditurus haberetur. Cui rei,  
susceptis devote a sacerdote suo et patre spiri-  
tuali penitentia et Eucharistia sacramentis, se  
paraverat, et in tantum jam devenerat discrimen,  
ut vix animam ducere posset. Inter has itaque  
vitæ reliquias Deo vovit atque promisit se ipsum  
visitaturum ecclesiam S. Vitalis, si sibi gratiam  
et favorem restitutæ valetudinis largiretur. Per  
Sancti virtutem effectus continuo secutus est ora-  
tionem; nam præter omnium spem, lectum deserit,  
baculoque nixus infirmo procedit gradu et  
viæ sese committit. Cum autem ad ecclesiam ven-  
nit, orationem suam fudit; et postridie confessus  
est se per Dei gratiam et boni Vitalis perfecte  
sanatum et sospitem esse.

*et mulieri*

*p*

15 In eodem vico quædam quoque degebat mu-  
lier dicta Teburgis p, quæ præ vehementi capitis  
dolore insana et errabunda facta erat. Ut itaque  
ab hoc sanaretur malo, ad plures vicos benefico  
Sanctorum cultu insignes iverat. Verum apud S.  
Vitalem tantum salutem invenit.

*atque viro  
rationis  
usum resti-  
tuit.*

*q*

16 Alius vir nomine Araldus, vici S. Perseve-  
randæ q incolæ, visione phantasmatis, sibi in dia-  
boli formam apparentis, usu memoriæ orbatus

fuerat, et tantæ amentia æstum patiebatur, ut  
quoscumque posset dentibus morderet. Erat tam-  
en penes consanguineos, qui quantum poterant  
vinculis eum ligatum tenebant, ducebantque per  
Sanctorum loca, et pervenerunt ad S. Vitalis ec-  
clesiam. Hic eum ligatum reliquerunt, ejus de-  
mandantes curam alicui e monachis, ejusdem mo-  
nasterii procuratori; qui cum eum diutius obno-  
xium videret asperitati hujus amentia, consilium  
iniit ei imponendi sportam dossuariam seu vimi-  
neam cistam, eumque onerandi lapidibus, eccle-  
sia edificandæ destinatis; quibus cum eum oner-  
rasset, hanc sarcinam ab eo portari præcipiebat,  
eumque ducebat fune, quali jumentum ducitur,  
atque hoc pacto ad sæpius pergendum ad eccle-  
siam eum cogebat. Quod bonum opus, quantum-  
vis invitus faceret, brevi ei salutari medicina fuit.  
Nam paucis diebus post animi sui compos et sanus  
factus, ultro supplicavit Deo et bono suo servo  
Vitali; qui viro sibi servienti tam bene subvenit  
et succurrit magna sua virtute et viva caritate, ut  
omnes incitarentur ad Deum laudandum et San-  
ctum in omnibus suis necessitatibus invocandum.

**D**

17 Sed temporibus Pippini r regis Aquitaniae,  
Joannis Romani Pontificis et Hibbodi abbatis mo-  
nasterii Herensis, magna piratarum multitudo,  
hostium regni, e Dania egressorum, irruerunt  
per Oceani littora in vicinas obvias terras, de-  
prædantes et populabundi, ad belli et latrocinii  
instar, insulas, civitates, ecclesias et castella;  
quæcumque autem auferentes, omnia funditus sus-  
deque vertebant; captivos trucidabant, nulli par-  
centes ætati; omnem impietatem, crudelitatem  
et inordinatam probrosamque concupiscentiam  
erga utriusque sexus homines exercebant, se ex-  
hibentes tormentorum rigore et impudicitia, quas  
in sibi obvios admittebant, maxime execrandos  
abominandosque hominum: ebrii et procaces,  
tamquam rabidi per mare et flumina in illud ef-  
fluentia, Ligerim s, Sequanam et Garunnam sca-  
phis discurrerent. Hi itaque detestandi prædones  
Britannia regionem, quam olim cornu t et finem  
Galliarum nuncupabant, populantur et funditus  
disperdunt; tunc metropolis Dolus u et septem  
ei subjacentes civitates, miris propugnaculis mun-  
itæ, quarum hæc nomina sunt: Venetia, Ke-  
rahes, Corisopitus ad Ellam fluvium, Corisopitus  
Corentini, Portus Saliconi, Diallentie, et civitas  
Sancti Pauli (quibus olim et etiamnum alia no-  
mina sunt) viduatæ ac exhaustæ fuerunt non se-  
cus ac civitates Nannetæ, Andegavi, Turones,  
Aurelia, Niverni, cum omnibus intra earum fines  
existentibus castellis. Hæc stygiæ pestes, Garun-  
nam ingressæ, Burdegala, Petrocora, Biturica et  
civitatibus Xantonum potiuntur; Sequanam vero  
subeuntes, populantur Rhotomagum, Constantia  
Castra, Abrincas, Rhedones, Noviomagum, Lu-  
tetiam Parisiorum, Bellovacum, Senones, Car-  
nutum et alia plura munitissima civitates et ca-  
stra Gallia: quæ cuncta acciderunt propter ci-  
vilem discordiam, quæ, defuncto patruo Caroli  
Magni v, inter quatuor reges flagravit.

*Normannis  
ingruentibus  
r*

*s*

*t*

*u*

**F**

18 In oppidis itaque et vicis tum Germania w  
(inferioris ?) tum Gallia, tanta Christianorum cla-  
des a Danis, gente perversa et idololatra facta  
est, ut nullus in eorum incideret manus, cujus-  
cumque foret sexus, ordinis aut conditionis, qui  
continuo vitam non amitteret. Cum vero eccle-  
sias vel monasteria invaderent, sine mora vasa  
sacra, thesauros et omne aurum atque argentum  
diripiebant; libros autem incendentes, et e lipsa-  
nothecis et sepulcris sacras tollentes Reliquias,

*atque omnia  
vastantibus,  
w*

flammas



A flammis eis supponebant, et igne destruebant, quas Deus comburi permittebat: quas vero comburere non poterant, eas conterebant et in pulverem redigebant, aquæ deinde aut vento tradituri, ne de eis in terra superesset memoria. Tunc in Galliis hæc Isaiaæ *x* prophetia adimpleta est: Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ.

Herenses  
monachi  
y

z

19 Monachi itaque, qui S. Filiberti monasteria *y* incolebant, hanc carnificinam et generalem quæ hæc regio affligebatur persecutionem extimescentes, adierunt regem Pippinum ejusque implorarunt consilia. Eo itaque auctore *z*, jussurunt præpositi, ut secum asportarent corpora sancta tum Martyrum, tum Virginum, tum Confessorum, omnesque quas in suis monasteriis haberent Reliquias; et ut fugerent seseque abderent in speluncis et cavernis vicinis, quas invenire possent, eisque concessit rex quædam refugia et partem sui regni turbarum expertem. Quod cum audivissent plurimi monachi aliæque utriusque sexus ecclesiasticæ personæ, maluerunt permissam sibi a Deo et a rege consultam capere fugam, quam crudelium paganorum mucronibus sese exponere.

Trenorchium  
defecerunt  
S. Vitalis  
corpus,  
aa

aa

20 Quos inter computandi veniunt S. Filiberti monachi, qui ex Herensi suo monasterio egressi (Herum insula Oceani est), secum detulerunt sacras suas Reliquias, scilicet Beatissimæ Virginis Mariæ Deiparæ, SS. Apostolorum Petri et Pauli, corpus dilecti a Deo S. Filiberti, corpus illustrissimi et celeberrimi S. Vitalis, S. Samsonis, et S. Benedicti *aa* (carissima eorum pignora) cum exigua suppellectili, quam eis concesserat Deus. Ut itaque seipsos et pretiosos beatorum Sanctorum thesauros servarent, propere profecti, devenerunt ad fines Burgundiæ in magnum magnificentæque ad ripas Araris exstructum monasterium; in quo morati sunt, posueruntque sacras quas deferebant Reliquias: et corpus sanctissimi Vitalis insertum est aureæ gemmisque exornatæ lipsanotheçæ.

quod pestis  
tempore  
bb

C

21 Porro aliquo tempore post *bb* accidit, ut in hac regione oriretur pestis tam contagiosa et vehemens, ut omnia vastaret; ita quidem, ut fere æstimatum foret finem mundi adesse, quandoquidem viri et mulieres, juvenes et senes ubique mortui humum caderent. Timor autem tam intolerabilis homines corripuit, ut quisquis integerimus sibi diem non polliceretur, quoniam omnes viderent socios suos inter loquendum in suas ulnas subito mortuos procidentem.

Burgundiæ  
populis

C

22 In tanto stupore præcipua Ecclesiæ capita conveniunt, et ex antiquissimorum sententia statuitur præscribendam esse penitentiam et afflictionem generalem, triduanum videlicet jejunium. Et responso a se dato, continuo monuit Deus id sibi placere, dummodo S. Vitalis membra in fetore ita collocarentur, ut populus ea subire posset; sese vero propter S. Vitalis preces et merita stragi finem impositurum. Res ita agitur, accipitur Sancti corpus, honorifice involvitur variatis mappis, velis et paramentis, atque ita ornatum imponitur summis quibusdam erectis valvis, et illic collocatur in gratiam quidem omnium, horum vero in primis qui vivere cupiunt, dummodo accedant ad sanctum corpus et accipiant medicamen, quod Deus per virtutem sanctarum et sacrarum Reliquiarum dilecti sui servi largitur.

saluti est.

23 Nuntium hujus magni beneficii spargitur continuo per vicus, civitates et castella circumjacentia, atque adeo per totum regnum. Accurrit populus, viri et femine undique conveniunt, pe-

ctore timorem claudentes, facie pallorem et mortis speciem prodentes, rogitanterque Deum, ut sua sibi peccata remittere, se a mortis discrimine liberare et se sanos et salvos per merita ejus servi S. Vitalis servare dignetur: unde quotquot ad sacrum corpus accesserunt, a morte et contagione præservati sunt *cc*. Obtigit miraculum post persecutionem; ex cujus *dd* historia paucissima tantum gesta excerptimus, ea ordinantes inter præcedentia, quæ partim legimus, partim ex vero relationum testimonio facta esse audivimus.

D

cc  
dd

## ANNOTATA.

a De pago Ratiatensi, seu Ratensi confer num. 1 Commentarii prævii.

b Alluditur ad vulgatissimum dictum S. Gregorii Papæ, quod Anglorum conversioni ansam dedit. Noverit lector signum, — quod ad frontem hujus sensus videt, hoc loco non secus ac inferius designare quas in lectiones hæc Vita in Trenorchensi Ms. divisa esset.

E

c Jam pridem vocatur hic mons vicus S. Vitalis, gallice Saint Vial, Saint Viau, Saint Viaud, quod vulgare S. Vitalis nomen est. Distat hic locus tribus leucæ quadrantibus a Paimbœuf, qui exiguis in ipso Ligeris ostio portus est.

d Ut numero 7 Commentarii prævii monui, quæ similibus uncis [ ] inclusa sunt, deerrant in Ms. Trenorchensi, atque ex Ms. Gallico versa sunt. Indubium mihi est num. 3, 4 et 5 ad Vitam omnium primo conscriptam pertinere: secus enim sensu fere caret, quæ num. 7 de octo beatitudinibus prædicantur. Laudandi modus insuper idem est ac in præteritis numeris.

e Hanc parenthesis non secus ac plerasque alias a rectore Merleto intrusam autumo. Aliquoties saltem hujusmodi intrusio manifesta est.

f Asseverare non dubito totum hunc numerum ab eodem rectore quoque intrusum esse; modus scilicet narrandi prorsus diversus est, neque ambiguum videtur, quin ad hunc locum referenda sint Alberti le Grand asserta, quibus prædicat insignes traditiones a dicto rectore annotatas fuisse, ut num. 6 latius recitavimus. Missa est ad nos præsentis parochi relatio de eadem traditione. Aliquanto quidem diversa ab ista est, non ita tamen ut nos remoretur. Signandum solummodo parvam crucem erectam esse apud hunc fontem, qui in tota regione notus est sub nomine gallico: Fontaine du bienheureux Saint Vial. Cum siccitas adurit agros, veniunt etiamnum supplicantium ordine vicinarum paræciarum incolæ, pluviam a Deo hic postulaturi.

F

g Silvam de Princé etiamnum exstare colligo e tabulis geographicis Cassini: quatuor leucis distat a vico S. Vitalis, seu a monte Scobriith, in quo ecclesia nunc est.

h In dissertatione nostri Henschenii de Vita S. Gummari, quam Le Roi Notitiz seu Marchionatus Antverpiensis inseruit, quaque usi sunt illius successores in Vita S. Gummari, dicitur de simili origine fontis S. Gummari. Non dubitat laudatissimus ille noster decessor hujusmodi traditiones inter commentata ablegare, sentitque Sanctorum nomina tot fontibus accessisse, quod Sancti eorum aqua aliquando usi sunt. Equidem non dissentirem ab eo qui affirmaret hæc fontium nomina ab usu, quo olim agri, animalia, fontes, etc., benedicebantur, atque etiamnum benedicuntur, repetenda esse.

i Affirmat Albertus le Grand et secundum eum

Lobi-



- A Lobinavius S. Vitalem die xvi Octobris circa annum 740 abiisse. D. Kerdanet, Vitarum Sanctorum Alberti Le Grand recens editor, in annotato apponit R. D. Deric, quem in suo proemio (a) laudat R. D. Tresvaux, S. Vitalis mortem referre ad annum 745, quin novæ hujus sententiæ rationem prodat: quam opinionem in Vitis Sanctorum Britannicæ, quas nuperius conscripsit R. D. Garaby, similiter reperio. Verum ego neminem ex illis hic laudavero ob rationes num. 8 Commentarii prævii productas. Numerus qui sequitur usque ad verba: Quod Deus.... desumptus est ex lectionario Trenorchiensis.
- k Hanc parenthesin denuo intrusam censeo a rectore Merleto; totus vero hic numerus nescio a quo compilatore conflatus videtur ex fine primitivæ Vitæ et ex miraculorum prologo.
- l Si quis advertat quo loco hæc miracula posita sint, persuasum sane habebit totius hujus descriptionis collectorem sensisse ea ante asperiores irruptionem Normannorum facta esse: et quidem in omnibus his miraculis supponitur corpus S. Vitalis in monte Scobriith exstare; quod cum ad annum 858 inde delatum videatur, ut num. 11 Commentarii prævii monitum fuit, consequens est collectoris sententiam sat firmam esse. Ex altera vero parte cum num. 16 ipsius Vitæ prodeat Herensium monachorum procurator, necesse est, ut conscripta et verisimiliter hoc prodigium factum sint post annum 839, quo S. Vitalis ecclesia Herensibus donata fuit. Num. 7 ex conjectura propositus fuit tanquam horum miraculorum scriptor Ermentarius, qui iisdem fere temporibus, jubente suo abbate Hilbodo, S. Filiberti miracula collegit.
- m Ploasmele Castrum, vulgo Ploërmel nuncupatum, oppidum diocesis Venetensis est, olim diocesi Sam-Macloviensi subjacens et aliquot tantum leucis a vico S. Vitalis distans.
- n Albertus Le Grand non Vulinum, sed Milinum scripsit.
- o Distat hic vicus, in quantum ex tabulis geographicis Cassini intelligo, sesquileuca circiter a vico S. Vitalis, neque late disjacet a Ligeris ripis.
- p Tethburgium habet Le Grand, et forte melius, utpote usitatus.
- q Vicus S. Perseverandæ, vulgo Sainte Pazanne appellatus, quinque leucis circiter dissitus est a vico S. Vitalis jacetque inter silvam de Princé et Grandem lacum (le lac de Grand-lieu). S. Perseveranda, quæ vulgo Pecine, Pechinne, Pazanne audit, colitur die xxiv et xxvi Junii.
- r Venimus tandem ad tertiam partem S. Vitalis Vitæ consutam ex utroque libro Ermentarii de Translationibus et Miraculis S. Filiberti. Verum enimvero sutor iste homines, tempora, facta, omnia miscuit, licet ante extensæ sæculum xii vixerit, ut ex annotato u liquebit. Ecce ab initio habes ad eadem tempora relatos Pippinum, ab anno 814 usque ad annum emortualem 838 Aquitanicæ regem, Joannem Papam VIII cujus pontificatus inter annum 872 et annum 882 includitur. Hibbodus seu potius Hilbodus, qui Herense pedum ab anno 825 usque ad annum 854 tenuisse æstimatur.
- s Invasiones, ad quas hic alluditur, latius enucleatas vide lib. II Translationum S. Filiberti. Acciderunt autem post annum 840. Ermentarius tacet destructionem Doli, etc.
- t Adrianus Valesius in Notitia Galliarum ad vocem Curiosolites censet Aimoium primum aut inter primos sæculo xi inuenta hoc nomine usum esse lib. II Miraculorum S. Benedicti.
- u Vulgaria nomina Doli et septem sequentium locorum sunt: Dol, Vennes, Carhaix, Quimperlé, Quimpercorentin, Morlaix, Aleth et Saint-Pol-de-Léon. Quod Diallectic idem esse dixi ac Aletum, e cujus civitatis ruinis civitas S. Maclovii (S' Malo) orta est, hæc est ratio: in fragmento historiæ Britannicæ Minoris, quod Hyacinthus Moricius edidit (b), bis prodit diocesis aut episcopus Dialectensis (c), et alibi in ejusdem Collectione (d) denum redit Dialectensis episcopus. In priori vero fragmento hæc insuper habes: Nomenojus... in locis eorum (quorundam episcoporum Britannicæ) alios constituit, adminuensque parochias eorum, videlicet in monasterio Doli, quod tunc temporis erat ex diocesi Dialectensis ecclesiæ, et in monasterio S. Brioci et Sancti Tutualis Pabut, episcopos tres usurpativos instruxit. Eadem fere repetit alter chronologus, cui antiquitate et auctoritate multo minor est, atque adeo hæc impugnare studet. At in editione regia operum Sirmondi (e) exstat scheda, e Ms. Montis S. Michaelis descripta, quam idem Sirmondus (f) plurimum laudat, et quæ cum primo fragmento, in Cartusia Vallis-Dei in diocesi Sagiensi reperto, consonat; in ea vero loco Dialectensis Aletensis legitur. Novi quidem Salanconem, qui hic episcopus Aletensis dicitur, in epistola synodica concilii Suesionensis (g) ad Nicolaum I, episcopum Dolensem appellari; verum ii, qui Dolensis sedis initia ad Nomenoji tempora referunt, duce P. Sirmondo (h), amanuensium oscitantæ aliæ rationi id adscribunt; alii autem, qui multo antiquiorem Dolensem cathedram faciunt, eam lectionem omnino sequuntur (i), quin tamen Sirmondi schedam corruptam esse sustineant, satis habentes contendisse hanc ex ira in Britones ab Anonymo scriptam fuisse (k). Quocirca nihil ex hac sententiarum varietate adversus dicta de Aleti nomine colligi potest. Vide insuper in Notitia Galliarum Valesii Aletum olim a Britannis Guich-Aleth, Quid-Aleth dictum fuisse: unde patet plurima huic civitati fuisse nomina. Cum autem septem superius enumeratæ civitates Dolo subjacere, et Dolum metropolis dicatur, liquet hæc scripta esse ante annum 1199, quo dato diplomate Innocentius III Dolum cum reliquis Britannicæ Ecclesiis denuo Turonibus subjecit. Vide opus Joannis Maan de Ecclesia Turonensi (l).
- v Quis non noverit Ludovicum Pium, qui hic designatur, non patrum sed filium esse Caroli Magni? Vide apud Ermentarium aliosque obvios scriptores late enucleatam discordiam, de qua hic sermo est.
- w Germania Belgium et Frisiam sane indicat.
- x Hæc verba non Isaia, sed Jeremiæ sunt, cap. I, § 14. Habes eadem verba in libro II Ermentarii.
- y Designare sane vult Herense et Deense monasteria.
- z Hic denuo summa confusio est. Hæc referuntur apud Ermentarium lib. I Miraculorum et Translationum ad annum 836. Generale placitum tum habitum est. Num. 11 Commentarii prævii breviter explicui universam Herensium fugam.
- aa Is est S. Benedictus, cultus die xxiii Octobris Quinciaci, ut notatum fuit num. 13 Commentarii prævii, ubi de aliis Sanctorum Reliquiis quoque agitur.
- bb Alluditur hic forte ad mortalitatem, anno 869 in Burgundia ortam; de qua Clarius in Chronico S. Petri-Vivi in hæc verba loquitur (m): In die-

(a) Vies des SS. de Bretagne, avert. p. ix. — (b) Mémoires de Bretagne, t. I, col. 279 et seq. — (c) Ibid. col. 284. — (d) Ibid. col. 23. — (e) T. III col. 409 et seq. — (f) Ibid. col. 170. — (g) Labbe Concil. t. VIII col. 838. — (h) T. III

Oper. col. 170. — (i) Tresvaux, l'Eglise de Bretagne, p. 254. — (k) Ibid. l. c. — (l) P. 129. — (m) Rec. des Hist. de France, D. Bouquet, t. VII, p. 266.



A bus illis facta est fames et mortalitas magna per totum regnum Francorum, maxime per Aquitaniam et Burgundiam: ita ut præ multitudine morientium non esset qui sepeliret. Nam Senonis inventi sunt una die quinquaginta sex homines mortui; sed misericordia Christi in ipso anno cessavit.

cc Ad calcem San-Vitalensis Ms. invenio notatum, hoc loco Vitæ inseri debere sequentia: Postmodum in memoriam insignis hujus miraculi erecta est in vico S. Vitalis crux lapidea, duabus pillis sustentata, quam subire licet; et qui febris laborant et præ reverentia eam subeunt in honorem Jesu Christi crucifixi, cui se in baptismo subdiderunt, et ei Beatoque Vitali devota aliqua

oratione supplicant, aut aliqua abstinencia obsequuntur, paucis diebus post restituuntur sanitati. *Pertineatne hoc fragmentum revera ad Vitam, an vero compositum sit a rectore Merleto, eo vehementius ambigo, quo magis miror in textu gallico quædam inserta et deinde expuncta fuisse verba. Cum præsens parochus in sua ad nos epistola et R. D. Garaby in suis Vitis Sanctorum Britannia hujus crucis et populi pietatis non meminerint, planum est conicere ea exæunte sæculo superiore destructa fuisse.*

dd Totus hic sensus in Ms. Gallico vere inextricabilis erat; quam verisimillimam autumavi interpretationem, eam selegi. Historia, de quo hic sermo, videtur eadem esse ac Ermentarii sæpe laudata scriptio.

## DE S. GURDANIO SEU GURDINELLO,

### EREMITA, DUACI ET AQUISCINCTII

#### IN DIÆCESI CAMERACENSI.

##### SYLLOGE

S. Gurdanius idemne sit ac S. Gurdinellus; origines Aquiscinctienses; S. Gurdanii variæ translationes et cultus.

ANTE MEDIUM  
SÆCULUM IX

Duaci et  
Aquiscinctii, jam in  
diæcesi  
Atrebatensi,  
jam Cameracensi.

C

Duacum, non ignobilis civitas, et Aquiscinctium, nunc rudera, florens olim abbatia, insigniuntur hodierno cultu S. Gurdanii, seu Gurdinelli. Uterque locus hic temporibus subjacet archiepiscopo Cameracensi; at non semper hunc rerum statum obtinuisse, colliget lector ex ipsis monumentis, quæ inferius afferenda sunt. Ne autem ullus inopportunos lapis in via sit, en paucis quæ jurisdictionis vicissitudo exstiterit in his oris: censent scilicet Gallia Christiana scriptores S. Remigii ævo episcopum apud Atrebatens, nullum vero Cameraci sedem suam habuisse; sed aliquot annis elapsis, Atrebatensem præulem Cameracum transmigrasse, eique Atrebatens remansisse unitos. Mutatio denuo contigit anno 1093, quo Lambertus ab Urbano Papa II Atrebatens infulus accepit, et credita ei diæcesis, qua Duacum et Aquiscinctium capiebatur, a Cameracensi separata est. Ineunte hoc sæculo, novos diæceson terminos statuit Pius Papa VII, atque ex eo tempore Cameracensi præsuli denuo subjacent Aquiscinctium et Duacum. Jam ad ipsum Sanctum transferamus stylum.

cultum sortitus est præsens Sanctus, qui a pluribus duplicatur,

2 Certum est exstitisse virum sanctum, nomine Gurdanium; at volunt bene multi non unum tantum, sed S. Gurdanium exstitisse et S. Gurdinellum; et quidem constat Duaci Gurdinellum, Aquiscinctii Gurdanium ante hominum memoriam cultum esse. Porro ex obscuritate, qua involvitur quæstio de identitate S. Gurdanii et S. Gurdinelli, orta est magna apud martyrologos differentia. Menardus in Martyrologio Sanctorum Ordinis S. Benedicti, Duaci, transitum S. Gordanii eremitæ, qui et Gurdinellus dicitur, annuntiat; eademque fere verba usurpat Bucelinus in Menologio Benedictino. Simon

Peyronet, sacra theologiae doctor Tolosanus, in suo Sanctorum Catalogo probe ostendit sibi hanc controversiam notam esse, secutque nodum difficultatis adversus mox citandum Molanum. Claudius Castellanus, martyrologorum universalium facile princeps, ea m demit sententiam, in generali suo Martyrologio scribens: Aquiscinctii S. Gurdanii (Gourdain) eremitæ, cujus corpus Suessiones translatum, atque inde devectum est Duacum, ubi S. Gurdinellus (Gurdinell) audit. Mitto Martyrologium Parisiense et Ferrarii Catalogum generalem Sanctorum, idem adstipulantia. Secunda Martyrologiorum classis, eaque reliquis antiquior, unum S. Gurdinellum, aut potius Gurdinellum novit, et amplectitur Usuardinum codicem editum a Molano, atque alterum Usuardinum, cujus apud Sollerium nostrum ad præsentem diem mentio fit; Martyrologium Ms. Villariense, quod jam musæum nostrum possidet; kalendarium præfixum Breviario Ms. Duacensi, quod similiter penes nos est, et in quo hic Sanctus Gurdinellus Confessor nuncupatur; et demum Martyrologium Germanicum, vulgo Canisianum dictum. Tertia classis Molanum fere patrem habet: hic quippe primus late disseruit de S. Gurdinello distinguendo a S. Gurdanio, eique assenserunt Saussayus in Martyrologio Gallicano, Miræus in Fastis Belgicis et Burgundicis, P. Willot in Martyrologio Belgico, Adrianus Van Loo in Vitis Sanctorum Belgarum, auctor Martyrologii Universalis Ms., quod in Ambianensi Bibliotheca vidimus, et editores Lovanienses Vitarum Sanctorum Butleri. Modus autem scribendi nomen nonnihil quoque variatur: ex Claudio Chastelain hausimus Gurdanium, sed Molanus et antiqua Aquiscinctiensa monumenta vulgo Gordanium

habent.